

DISSERTATIO VII.

DE CÆTERIS JUSTITIÆ SPECIEBUS.

Hæ sunt distributiva, legalis, vindicativa; intellige juxta dicta n. 557. 558. quibus denique adnectimus præcipuum justitiæ actum, sive judicium.

CAPUT I.

DE JUSTITIA DISTRIBUTIVA.

612. Justitia distributiva Rempublicam totam recte ad suas partes, sive membra coordinat, his suum tribuendo, juxta proportionem dignitatis et meriti in utilitatem communitatis principaliter, ac concomitanter ipsius partis. Unde justitia hæc versatur circa bona Reipublicæ communia, officia secularia et ecclesiastica, bona spiritualia et fortunæ, quæ communitatis interest, ut dentur a Principe civibus, spectata horum dignitate, sive capacitate et merito præ civibus aliis, juxta illud Exod. 18. 21. *Provide de omni plebe viros potentes (sapientia, peritia, capacitate) timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam, et constitues ex eis tribunos, etc.* Hinc justitiæ distributiæ specialiter oppositum est vitium, quod dicitur *acceptio personarum*, atque ex genere suo mortale est, ut sentiunt cum D. THOMA 2. 2. Q. 63. Theologi omnes.

ARTICULUS I.

AN ET QUANTA SIT OBLIGATIO BENEFICIA ECCLESIASTICA DISTRIBUENDI INTER DIGNIORES?

613. *Proemium I.* Beneficium ecclesiasticum proprie dictum, est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis intuitu spiritualis officii, auctoritate ecclesiastica constitutum; ita Doctores communiter quoad sensum ex C. 2. Dist. 70. c. 16. de Præb. et Dignit. Dicitur vero 1°. Jus perpetuum, non solum ratione ipsius beneficii, quatenus hoc vacans semper debet conferri alteri; sed etiam ratione beneficiati, quatenus hic, utpote jus reale habens in beneficio, hoc sine delicto privari non potest. 2°. Jus percipiendi fructus, sine dominio proprietatis in bonâ ipsa ecclesiastica, e quibus fru-

cius proveniunt. 3^o. *Auctoritate ecclesiastica constitutum*; non enim fundatio sola sufficit; sed acceptatio, necesse est, accedat vel summi Pontificis, ut in beneficiis majoribus et dignitatibus, C. 1. *Dist. 22.* vel Episcopi, ut in aliis, nec ante hanc veri beneficii nomen et jura sortitur. Ex his etiam consequitur, ad beneficia proprie dicta non pertinere, quod non datur in titulum perpetuum, ut commendæ, ac vicariæ *temporales*, capellanæ simplices, etsi collativæ sint beneficia, uti et commendæ ac vicariæ perpetuæ; nec beneficia manualia, sive amabilia ratione beneficiati; nec varia clericorum præstimoniam, quæ clericis non conferuntur ob functionem spirituales in perpetuum titulum.

614. *Proœmium II.* Prima beneficiorum incunabula satis verosimiliter plures cum LEOPOLD. PILATO *de Originib. Jur. Pontif. L. 4. Tit. 1.* ad pingua illa tempora, quæ CONSTANTINUM M. inter et CAROLUM M. fluxere, referunt; utpote in quibus aucta mirum in modum bona ecclesiastica novam administrationis formam postulabant. Hinc excisa fundorum portio ab Episcopo clericis subin bene meritis dabatur ceu administratoribus usufructuariis; non secus, ac prædia legimus a Principibus concessa viris nobilibus ac militibus, ut beneficia quasi feuda diceret, beneficiatos quasi vasallos. Certe jam sublustrem beneficiorum mentionem facit sub finem seculi V. SYMMACHUS P. relatus *Can. 6. Caus. 16. Q. 1.* ac clare Synodus AURELIANENSIS habita anno 511. *can. 23.* inquit: *Si Episcopus humanitatis intuitu vineolas, vel terrulas clericis, vel monachis præstiterit eccolendas; etiamsi longa transisse annorum spatia comprobentur, nullum Ecclesia præjudicium patiat; nec seculari lege præscriptio, quæ Ecclesiæ aliquid impediatur, opponatur.* Idem Synodus MOGUNTINA anno 813. *can. 42.* *Quicumque beneficium ecclesiasticum habent, etc.* At vero, cum, ut quidem VAN ESPEN *Jur. Eccl. p. 2. T. 18. c. 1.* observat, aliique, incommodum videretur, quod moriente Presbytero successor deberet jus percipiendi proventus quasi de liberalitate Episcopi denuo recipere; cæpere sensim Ecclesiæ singulæ jus percipiendi redditus vindicare sibi, independentem ab Episcopo, tandemque illud axioma juris invaluit, quod Parochi habeant fundatam intentionem percipiendi decimas, oblationes, aliosque proventus. Itaque jus percipiendi fructus non jam personis, sed Ecclesiis, seu titulis adnecti cœpit, ita ut, qui titulum haberet, gauderet simul jure percipiendi fructus ex bonis titulo adnexis: quæ disciplina tandem universaliter respectu etiam cleri civitatis ac clericorum circa sec. XII. induci recipique cœpit. Hinc factum ulterius, ut ipse titulus tandem nomen beneficii fere obtineret; tum, quod illo obtento ipsum fructus percipiendi obtineatur jus tanquam adnexum; tum, quod ecclesiasticum officium sive ministerium tanquam principale, jus vero percipiendi fructus, ut minus principale et accessorium considerari debeat, juxta *c. fin. de Rescriptis in 6.* ac pervulgatum nunc axioma: *Beneficium datur propter officium.*

615. *Proœmium III.* Dividuntur beneficia variè: 1^o. in *secularia et regularia*; hæc regularibus ejusdem ordinis, ut abbatia, prioratus, etc. illa secularibus competunt clericis; ita ut secularia regularibus, regularia secularibus, citra dispensationem Apostolicam conferri nequeant. In dubio

omne beneficium seculare præsumitur, donec probetur oppositum. GARC. P. 1. *de Benef. c. 6.*

2^o. In duplicia et simplicia. *Duplicia* sunt, quæ præter cætera beneficiis omnibus communia, insuper gaudent aliqua qualitate juris, quia adnexam habent vel eminentiam aliquam; vel jurisdictionem, sive curam animarum, in foro externo, vel interno; vel administrationem Ecclesiasticarum rerum. *Simplicia*, quæ nihil tale conjunctum habent; sed solum ad recitandum divinum officium, aut celebrandas insuper certas missas obligant, ut capellanæ collativæ, canonicatus; qui tamen, si cathedrales sint, simplicia majora vocantur, ob majorem præ aliis beneficiatis præcedentiam. Porro *duplicia* alia sunt *majora*, beneficiorum, ac dignitatum culmina, nec proinde in odiosis veniunt beneficiorum nomine; suntque Episcopatus, Archiepiscopatus, Patriarchatus, Cardinalatus. Papatus proprie beneficium non est, utpote dignitatum omnium Ecclesiasticarum apex. Alia *media*, ad quæ pertinent dignitates inferiores reliquæ, Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Præposituræ, Decanatus, Vicariatus Generalis, Abbatia, Generalatus, etc. Si cui beneficio conjuncta sit præeminentia simul cum jurisdictione in externo foro, proprie ac specificè *dignitas* dicitur; si tantum Ecclesiasticarum rerum administratio, *officium*, quale habent Primicerius, Custos; si sola præcedentia, vel prioritas, ut in dandis suffragiis, etc. *personatus*. Unde duo hæc posteriora, personatus et officium in rigore ad dignitates non pertinent; sed non nisi reductive. Demum alia sunt *infima*, quibus jurisdictio quidem, sed pro solo interno foro adjuncta est, sive cura animarum, imponens obligationem administrandi sacramenta, prædicandi verbum divinum, instruendi rudes in fide; unde *curata* dicuntur, velut Parochiæ, Plebanatus, Vicariæ perpetuæ Ecclesiarum parochialium.

3^o. Ratione modi, quo obtinentur beneficia, in *electiva*, quæ via electionis per majora capitularium suffragia: *patronata*, quæ per præsentationem alicujus patroni, accedente legitimi Prælati ecclesiastici institutione: *collativa*, quæ collatione libera Episcopi, alteriusve collatoris, citra præsentationis, aut nominationis, ac electionis solemnitates, obtinentur. Ad patronata reduci possunt patrimonialia, quæ ex primæva fundatione non cuilibet, sed personis certæ familiæ, patriæ, aut loci, si inde capacia subjecta adsint, conferuntur. In dubio quodlibet beneficium præsumitur esse collativum, utpote quod præ cæteris naturam beneficii sortitur.

616. *Proœmium IV.* *Indignus* in præsentia materia erit, qui ad officium, ob quod datur beneficium, est ineptus, sive merito judicatur inutilis vel ob pravitatem morum, vel ignorantiam, vel ob impedimentum canonicum, quo de jure factus inhabilis: *dignus* e contra dicendus, qui speratur futurus utilis tum ob probitatem morum, tum scientiam, nec laborat impedimento juris: *dignior*, qui utilius præfuturus creditur.

617. *Dico I.* Collatio beneficii ecclesiastici facta indigno, si adsit dignus, peccatum mortale est; quin in variis casibus irrita, in aliis irritanda.

Pars 1^a. constat inde; quia committitur acceptio personarum in re gravis momenti; ex tali enim injusta distributione gravia redundant in Ecclesiam mala, scandala, corruptio morum, cultus divini negligentia, hæreses, etc.

Unde tam promovens indignum, quam promotus, tenetur compensare damna Ecclesiæ, quæ huic inde obveniunt: promovens quidem; quia violat justitiam commutativam erga Ecclesiam, cui ex officio obligatur ad præficiendos ministros dignos: promotus; quia cooperatur actioni injustæ promoventis, ac per se ipsum infert damna Ecclesiæ; qui et propterea tenetur in conscientia cedere beneficio. Nec refert, quod collator, elector, patronus nesciat, esse positive indignum, quem promovet; nam scire deberet, ideoque inquirere in capacitatem promovendi; quia illi incumbit ex officio, providere Ecclesiæ de ministris dignis.

Pars 2^a. ex variis juris textibus patet. De excommunicato ex *c. 7. de Cler. excomm.* De suspenso ex *c. 8. de cetat. et qual.* De personaliter interdicto, irregulari, notato infamia juris, *Extrav. 2. de Simon. int. Comm. c. 41. de excess. arg. L. un. C. de infam. L. 40. 42. c. de Dign.* De penitus illiterato promotus ad curatum beneficium colligitur ex *c. 7. §. inferiora. c. 22. de Elect.* Dixi tamen: *penitus* illiterato; quod si enim aliqua polleat scientia, tametsi non sufficiente, valet quidem collatio; irritanda tamen per *c. 17. eod.* nisi promotus promittat, ac speret, se brevi sibi comparaturum sufficientem scientiam; quo casu Episcopus vel dare tali ad tempus vicarium potest, vel aliter providere, juxta *TRIDENT. Sess. 21. cap. 6. de Reform.*

Pars 3^a. partim ex dictis colligitur; partim inde patet, quia secus non evitabuntur damna Ecclesiæ, quæ avertere tenetur, quicumque præest Ecclesiæ, vi justitiæ commutativæ.

Dixi supra: *si dignus adsit*; si enim hic non adesset, liceret aliquando conferre indigno ad evitanda mala Ecclesiæ majora; velut, ne jus conferendi devolvatur ad hæreticos, ne eligatur adhuc indignior; eo enim casu, etsi non sit absolute dignus, est tamen comparative ad indigniores. Hoc tamen non obstante, tenetur ita promotus vel curare, ut fiat dignus; vel officium administrare per alium.

618. *Dico II.* Illicita pariter est, regulariter loquendo, promotio digni, prætermissa digniore, qui in promptu est, ad beneficium curam animarum, aut aliam functionem gravem adnexam habens; non tamen invalida.

Pars 1^a. constat 1^o. textibus claris. *c. un. ut Eccles. Benef.* respondet INNOCENT. III. *Non ex affectu carnali, sed discreto judicio debuisti Ecclesiasticum officium et beneficium in persona magis idonea dispensare.* Graviter hoc TRIDENTINUM inculcat *Sess. 24. cap. 1.* loquens primo de promotione Episcoporum: *Omnes vero et singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque jus habent, aut alioquin operam suam præstant... monet... eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi, quos digniores, et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint.* Ac deinde *cap. 18. de Parochorum promotione: Ex his Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit.* Ubi etsi TRIDENT. loquatur de digniore per *concursum* eligendo; recte tamen extenditur etiam ad collationem talium beneficiorum, sicubi concursus non viget, quia TRIDENTINUM præcise intendit prospicere Ecclesiæ et animarum bono. Unde ne qua sub ratione eludi posset TRIDENTINUM, damnata est ab INNOCENTIO XI. hæc propositio 47. *Cum dicit Concilium Tridentinum, eos alienis*

peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores et Ecclesiæ magis utiles judicaverint, ad Ecclesias promovent; Concilium vel primo videtur per hoc digniores nihil aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo: vel secundo, locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

2^o. Ratione; quia collatores beneficiorum, non horum domini, sed administratores ac dispensatores sunt, quibus, utpote Ecclesiæ ministris publicis, ex officio, quasi contractu, adeoque ex justitia incumbit, bono Ecclesiæ communi meliori modo prospicere, ejusque, quoad possunt, arcere damna: at hæc non satis averterent, si, neglectis dignioribus, præficerent minus dignos; nec bono communi modo meliori prospicerent; nisi enim id curetur, ut promoveantur maxime idonei, facile eveniet, ut promoveantur indigni; si enim, qui aliquando videbatur dignior, post promotionem comperiat minus dignus, cum tamen multa ad perfectum Ecclesiæ ministrum requirantur; quam facile accidet, ut, qui putabatur simpliciter dignus, postea reperiatur indignus, magno rei spiritualis detrimento? Certe ex neglecta illa digniores promovendi obligatione, derivant Patres Tridentini ingentia illa mala, quæ inundarant Ecclesiam.

Pars 2^a. inde evincitur; quod jus, quando agit de collatione valida, requirat dignum, quod passim sic interpretes sumunt; quod electio digni, vel collatio facta digno subsistat, nec impugnari, vel irritari possit in foro contentioso. Et merito; secus enim vix aliqua electio, aut collatio careret calumnia; ac tribunalia ecclesiastica obruerentur litibus.

619. Dictum vero 1^o. *regulariter loquendo*; excipi enim debet 1. Si beneficii fundator ipse præsentet dignum; quod privilegium conceditur fundatoribus, *C. Monasterium. Caus. XVI. Q. 7.* quo alliciantur fideles ad fundanda beneficia; idque non solum prima vice, sed etiam (si tamen hoc jus in fundatione sibi reservaverit) quoties ipso vivente vacaverit. Privilegium tamen hoc personale est, nec ad hæredes transit.

2. Tenetur Episcopus admittere dignum præsentatum a patrono laico juxta *TRID. Sess. 24. cap. 18.* etsi nihilominus patronus laicus peccet non præsentando digniorem, si quem habeat.

3. Etsi haberi possent digniores ex Ecclesiis aliis; si tamen promovendus debeat esse de gremio Ecclesiæ, ex hoc deligendus est magis dignus. Quin, olim ex gremio seligi debebat, *C. Nullus. Dist. LXI. C. Metropolitano. Dist. LXIII.* Par est ratio, si beneficium ex prima sua institutione, accedente auctoritate Ecclesiæ, debeat conferri uni ex familia, oppido; tunc, si ex his adsit dignus, hic excludet digniores extraneos.

4. Si votum tuum in electione non prodesset digniori, ac nisi illud minus digno conferres, verendum sit, ne ob suffragatorum dissidia eligatur adhuc minus dignus, vel indignus; potes dare votum primo minus digno; sic enim utiliter geres negotium Ecclesiæ. Similiter potes eligere minus dignum, si electus dignior prævideatur non servaturus residentiam, nec administraturus officium per se; solet enim plus prodesse minus dignus præsens, quam absens dignior.

5. Vacantibus simul duobus beneficiis, altero simplici optimo, altero

parochiali tenui, recte prius minus digno, alterum digniori confertur, quia ita exigit Ecclesiæ atque animarum bonum.

Demum observandum, majorem dignitatem non præcise desumendam esse a pluribus gratiæ donis, majoreve scientia; sed et a communi bono, cui quis plus speratur profuturus; sic ei plus conferre aliquando potest, qui potentia, industria, quam qui scientia et probitate major; dispensatio enim bonorum Ecclesiasticorum præsertim præfecturarum ad bonum commune maxime ordinatur; unde tales subin aliis, licet in se absolute magis bonis, merito præferuntur.

Dictum 2^o. prætermisso digniore, *qui in promptu est*; neque enim inquirere debet collator, vel patronus, quis in tota provincia dignior, quod et nimium grave et deceptioni non raro obnoxium esset; sed ita debet accipi, ut ex iis, quos novit, habet, vel habere commode potest, digniorem promoveat.

Dictum 3^o. ad beneficium *curam animarum, vel aliam functionem gravem*, etc. Cætera enim beneficia simplicia minora, ut canonicatus modicos, etc. conferre dignis, neglectis dignioribus; excusant a mortali NAVARR. SYLVIVS, LESSIVS. Quod verum est, si quandoque duntaxat fiat; si tamen etiam in his prætermittantur digniores passim ac plerumque, id culpa mortali non vacare, putat de LUCCO, aliique; quod sic peccetur contra fidelitatem Ecclesiæ debitam, cujus interest, officium divinum celebrari, quam potest, decentissime; suosque ministros probitate et doctrina præluere populo.

620. *Obj. I.* Apostolus 1. ad Tim. 3. discurrens de dotibus, quibus instructum esse oporteat, qui ad Episcopatum promovendus, inquit in positivo: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, pudicum, hospitalem*; non in comparativo, magis irreprehensibilem, sobrium, pudicum, prudentiorem, etc.; ergo. *Conf.* ex eod. 1. ad Cor. 4. ubi similiter enunciat: *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniat; non ait: fidelior.*

II. Consonat jus canonicum, quod dignum requirit, non digniorem, vel dignissimum, *C. Si in plebibus. Dist. LXIII. Tridentinum Sess. 8. cap. 3.* jubens beneficia episcopatu inferiora conferri *dignis et habilibus*, etc. *Conf.* Olim beneficia et præfecturæ ecclesiasticæ conferri debebant ejusdem Ecclesiæ clericis, ut patet ex *Cann. supra cit.* Et *C. Monasterium cit.* solum exigitur, ut non sit minister malus.

III. Conferens beneficium, etiam curam animarum adjunctam habens, nemini infert injuriam; ergo. *Prob. Ant.* Non enim digniori facit injuriam; quia, quod sit dignior, non ideo jus strictum habet ad beneficium: nec Ecclesiæ; hæc enim neque exigit, neque jus habet exigendi diligentiam summam, sed solum humanam, ac moralem; cum et dignior ipse, si promotus fuerit, obligetur ad humanam solum diligentiam. *Conf.* Sic œconomus, cui commissum pecunias largiri in pauperes, non tenetur inquirere in pauperiores; nec alias obligatur ex justitia ad procurandum incrementum rei familiaris, sed ex fidelitate.

IV. Si esset obligatio promovendi digniorem præ minus digno, ergo qui se minus dignum crederet, nec petere beneficium, nec sibi collatum acceptare posset, ne cooperaretur actioni injustæ collatoris: sed hoc repletet conscientias anxietatibus; quin, adversatur praxi.

V. Si beneficium confertur alteri via resignationis, aut permutationis, non est obligatio urgens tunc conferendi digniori, ut sentit LESSIVS, SERRA, aliique; ergo neque alias.

Ad 1^{am}. R. N. *Cons.* Tot enim ac tantas qualitates hic in Episcopo Apostolus exigit, ut, qui est singulis præditus, merito dignissimus censendus sit. Unde quoad rem revera hic de digniore loquitur, etsi ut talis, sub voce expressa *dignioris* mentionem non faciat.

Ad Conf. Pariter N. *Cons.* Citato loco enim, quæ in dispensatore mysteriorum Dei præcipua sit qualitas, ostendit; uti vero non ideo negat, instructum esse oportere qualitatibus cæteris; sic neque negat, eligendum esse digniorem.

Ad 2^{am}. R. N. A. Nam etiam digniorem præficiendum jubet *c. fin. de off. Custod. Item c. un. ut Eccles. Benef. sine diminut.* cit. supra in Concl. Et TRID. *Sess. 24. de Reform. cap. 18.* præcipiens paræciis *magis idoneos* præfici. Igitur, si quando jura præcipiant, ut beneficia conferantur dignis, dignos sumunt relate ad indignos, ut hos arceant; vel loquuntur de valore collationis, ne, si fiat indigno, collatio in foro externo pronuncietur irrita; unde TRID. *Sess. 7.* cit. mox subdit: *aliter autem facta collatio, vel provisio, omnino irritetur.*

Ad Conf. R. N. *Cons.* Quoad primum enim, usus idem adhuc hodie in quibusdam Ecclesiis obtinet; quia, qui sunt ex gremio, sperantur vel utiliores, vel certe æque utiles ac fideles fore in Ecclesiam, quam extraneus, etsi forte majoribus instructus donis; tum quod sumptus ex gremio magis soleat diligere Ecclesiam, in qua est veluti educatus; tum quia majorem habet suæ Ecclesiæ notitiam; tum quod constantius residere soleat.

Quoad alterum: R. hoc esse speciale privilegium concessum ab Ecclesia in majorem Ecclesiæ utilitatem; ideoque inter casus exceptos pertinet. Posse vero Ecclesiam ejusmodi conferre privilegia, quando hæc ad majus ipsius Ecclesiæ bonum tendunt, salvo etiam jure naturæ, nemo ambigit; quia spiritualia ea bona sunt credita Ecclesiæ, ut hæc de iis disponat ad majus Ecclesiæ bonum: si igitur hoc habeatur casu, quo dignus aliquando præferatur digniori, nihil peccabit Ecclesia contra jus sive divinum, sive naturale; quod solum prohibere dici potest, dignos præferre dignioribus, quando vergit in damnum Ecclesiæ; non alias.

Ad 3^{am}. R. N. *Ass. Ad prob.* Concessa parte prima ob rationem additam, N. alteram ob rationem Conclusionis.

Ad prob. N. Cons. 1^o. Etsi enim Ecclesia non exigit diligentiam summam; habet tamen exigendi jus, ut sibi meliori modo consulatur, arceanturque damna, quorum alias periculo proximo exponeretur, si sibi passim præficerentur minus digni neglectis dignioribus, ut dictum supra in prob. 2. Concl. n. 618. 2^o. Quia dignior tenetur quidem ad diligentiam humanam, sed tamen juxta vires suas, et necessitatem Ecclesiæ; possunt vero non raro evenire circumstantiæ, in quibus Ecclesiæ, vel animarum necessitas exigit digniorem in docendo, arguendo, tuendo, etc. ad quæ non sufficeret minus dignus; igitur hunc præferre digniori, est aliquam Ecclesiæ, vel animabus inferre injuriam; quia est Ecclesiam exponere periculo.

Si inferas: Ergo qui promovet minus dignum, prætermisso digniore, te-

neretur restituere Ecclesiæ, si inde damnum traheret; sed hoc plane quid novi esset, et adversatur praxi omnium.

R. C. *illat. per se loquendo*; eo quod violet justitiam commutativam erga Ecclesiam juxta dicta superius: at cum ea restitutio esset plena perplexitatibus, eaque obligatio deterreret multos a suscipiendis præfecturis, etc. Ecclesia collatores et patronos ad eam obligationem non intendit adstringere; cum illam nullibi urgeat, neque unquam reperiatur restitutionem exegisse.

Ad Conf. quoad 1. R. Disparitas est, quod œconomus distribuendo pauperibus satisfaciat intentioni domini, qui voluit præcise dari pauperibus; at collator præficiendo minus dignos, neglectis dignioribus, non satisfaciet sic menti Ecclesiæ; tum quia hæc declarat, quod velit conferri dignioribus; tum quia beneficia non principaliter in ministrorum bonum, ut eleemosynæ in bonum pauperum, sed Ecclesiæ ordinata sunt. *Quoad 2.*: Si missio precurandi incrementi domino damnosa sit, indubie non contra fidelitatem solam, sed et justitiam: si damnosa non sit, neque dominus quoad hoc declaravit mentem; jam hoc ipso est disparitas 1º. quia præmissio digniorum est nociva Ecclesiæ ex dictis; 2º. quia quoad hos præferendos mentem suam expressit Ecclesia.

Ad 4ºm. R. N. illat. Quia non competitorum, sed solius collatoris est de illorum idoneitate ferre judicium. Igitur si te idoneum credas, potes te offerre collatori ea conditione, ut, si te æque dignum judicaverit, tibi beneficium conferat; eoque obtento judicare, te vel digniorem, vel æque dignum fuisse habitum, atque ita quiescere.

Ad 5ºm. R. N. A. per se loquendo. Etsi enim resignans, vel permutans non teneatur ex officio Ecclesiæ ministros præficere; tenetur tamen non concurrere ad iniquam collationem, juxta TRID. in Concl. At resignans, vel permutans in favorem minus digni, cum dignior adsit, ad iniquam collationem concurreret. Nihil tamen offendet resignans, si cedat beneficium suum æque digno, quam ipse sit, quia supponere potest beneficium sibi collatum fuisse ceu digniori, aut æque digno, ac fuerant alii. Pariter habens simplex beneficium si cum alio etiam habente beneficium simplex permutet, aut si habens curatum eum habente etiam curatum; poterit permutare cum minus digno: cum enim hic beneficium ejusdem speciei teneat, non refert, sive hoc, sive aliud habeat; nisi forsitan circumstantiæ Ecclesiæ digniorem exigerent.

ARTICULUS II.

DE DISTRIBUTIONE OFFICIORUM CIVILIUM.

621. *Dico I.* Officia civilia debent conferri dignis, adeo ut peccato mortali se obstringant, qui indignos ad ea provehant, teneanturque ad compensanda damna inde in Rempublicam profecta. Est communis Doctorum.

Ratio est: quod officia illa principaliter ordinata sint in commune Reipublicæ bonum, ergo tenentur magistratus politici ea conferre, non nisi idoneis; quia tenentur ex contractu saltem tacito, ipsa additione magistratus, vel principatus cum Republica inito, hujus procurare bonum, avertere mala; nemo vero nescit, quanta inde mala redundent in Rempublicam si hujus officia

publica conferantur indignis. Par est ratio de provinciarum præfectis, qui, ut harum procurent bonum, accipiunt stipendia: igitur, perinde ac œconomus tenetur ex officio famulos, aut operarios conducere idoneos, illi tenentur deligere officiales aptos. Estque hæc obligatio tam in provinciarum præsidibus, quam in magistratu summo, aut Principe, 1º. gravis, quia materia gravissima est; 2º. justitiæ strictæ, sive commutativæ, quia ad hoc se obligarunt contractu saltem tacito cum Republica, quæ se vicissim ita obligavit Principi ad pendenda tributa, ferenda onera, etc. Hinc et sequitur obligatio compensandi damna inde Reipublicæ enata, quod scienter promoverint indignos. Dixi *scienter*; si enim eos præfecerint, quia putabant dignos, cum ea ratione sint damni solum causa remota, Respublica non videtur exigere, ut adeo stricta fiat restitutio.

622. *Dico II.* Officia civilia etiam regulariter sunt conferenda dignioribus præ minus dignis. Ita passim Theologi cum Soro, de Lugo aliisque.

Constat Conclusio eadem fere ratione, qua Art. præc. *Concl. II.* Sicut enim Ecclesia habet jus exigendi, ut sibi meliori modo consulatur; sic et Respublica: ac sicut ex officio tenentur Ecclesiæ præsidēs hujus procurare bonum meliori modo, damnaque avertere; ita magistratus Reipublicæ politice, nec satis ab hac propulsabunt damna, si passim, neglectis aptioribus præficiantur minus apti; cum frequentes sint vicissitudines, in quibus minus dignus non est sufficiens. Adde: si passim promoverentur minus digni, perquam facile fiet, ut tandem promoveantur indigni. Non tamen ob posthabitu digniorem est obligatio quid restituendi, sicut dictum Art. præc.

623. *Dices 1º.* Potest sperari, fore, ut is, qui non est modo aptus, fiat aptus ipso usu, si promoveatur ad officium; ergo non erit peccatum ad officia publica promovere non idoneos.

R. N. *Cons.* Etsi enim subinde justis de causis, et quando nullum inde verendum Reipublicæ damnum, non idoneo conferri officium publicum possit, hocque interim administrari per vicarium habilem, dum promotus fiat idoneus; id tamen passim fieri non debet, præsertim dubiis Reipublicæ temporibus, quæ auxilium præsens, virumque necessitati præsentem parem exposcunt.

Dices 2º. Munia publica non sunt bona communia, quæ civibus dari oporteat ut membris communitatis, cum citra injuriam conferri queant extraneis; ergo in horum distributione locum non habet justitia distributiva, nec proinde acceptio personarum; sicque nec peccatum erit, minus dignum præferre digniori.

R. T. A. N. *Cons.* Quia, etsi non sint ita bona communia, ut necessario distribui debeant inter solos ejusdem communitatis cives, ut patet in officiis militaribus, cathedris academiæ, quæ dignioribus, cujuscumque demum nationis sint, conferri solent; requiritur tamen, ut bona communitatis distribuantur juxta proportionem meritorum et dignitatis.

Dices 3º. Officia civilia vendi possunt; ita enim fit in Regnis quibusdam Franciæ, etc. ergo etiam conferri minus dignis præ dignioribus.

R. D. A. *Vendi* possunt absolute loquendo, et sub debitis conditionibus C.